66

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ Decembris.

M. PETRO BOURDELOT, Doctore Medico, Regis perpetuò ordinario, Præside.

An Peracutis statim, ut plurimum, purgatio per superiora?

I.

UT modici victus & tempestivæ exercitationis præmium, constans & à quibuslibet ærumnis tutior sanitas, sic largiores cibos, & vitam molli inertiâ torpentem, sua semper sequitur pœna; Humorum nempè quantitate aut qualitate peccantium redundantia, morborum fere omnium fons & origo; vacuatione, si alitèr emendari non potest, protinus auferenda. Hanc, quam κακοχυμίαν græci dicunt, præsertìm eliminat purgatio, seu humoris qualitate noxii, per loca commoda, arte facta evacuatio; Illam, quam πληθώραν nuncupant, promptè & expeditè educit sanguinis per venæ sectionem detractio: Hæc duo ut præcipua evacuationum genera, ità & præstantiora medicinæ subsidia, ac veluti manus, quisquis loco, tempore, & modo convenienti, noverit administrare, perspectumque habuerit, quod vacuandi genus, cuique morbo, & quandò, & quantùm conveniat, is profectò videri debet multò maximam artis partem consecutus, Medicus certè singulari reverentiâ colendus. Sed his cave des nominis illius honorem, qui vel judicii, vel artis inopiâ, [a] nequeunt internoscere, quibus affectibus venæ sectio, quibus purgatio & quandò sit afferenda, vel hæc illi anteponenda. Qui fallaci nescio quâ traditione potiùs quàm ratione & experientiâ innixi, omnique posthabitâ Hippocratis & Galeni Medicinæ Antistitum authoritate, aut perperàm intellectâ, in nullo non morbo vel frigidissimo sanguinem audacitèr profundunt; nequè satis habent

[a] Fernel. de vacua. rat. edit. 1548. pag. 7.

ſemel atque iterum detraxiſſe, ſed adeò frequenter & abundè, ut exhauſtis, ſimul cum pretioſo naturæ theſauro ægrè reparabili, penitùs viribus, ægrotum unà cum ægritudine ſæpe numerò jugulent: Purgare contrà cùm expedit, plerùmque tam timidè & diffidentèr ſe gerunt, & tandiù procraſtinant, dum morbos ex brevibus diuturnos, & ex curabilibus inſanabiles fecerint; quaſi verò nunquàm pænituerit diſtuliſſe purgationem? & in ſolâ vitæ fontis profuſione generoſum, promptum, audacem, imò & temerarium eſſe liceret? diſcant tandem, vel ex ipſis (quos ſummos medendi magiſtros fatentur quidèm, rarò tamèn ſequuntur aut intelligunt) Hippocrate & Galeno, venæ ſectionem (quam præ cæteris morbus jàm conſiſtens, bilis, ipſamet febris, & pleuritis non raro prohibent, etiàm his qui cruenta expuunt[b]) uni plethoræ, ſolâ benignioris ſucci laſciviâ formidabili, convenire; & tunc ſolum cacochymiæ, circà morborum initia, & viribus integris, deberi, cum plenitudinem, inflammationem, aut obſtructionem aliquam inſignem ſecum habet adjunctam; purgationem verò, crudi impurique humoris turgeſcentiæ ſæpiùs fatalis, proprium ac legitimum remedium, poſt materiæ concoctionem non ſemper remittendam; ſed ineuntibus his morbis, etiam per ſuperiora medicandum, in quibus periculum eſt in morâ, & plurimus turgiduſque humor, aut turgere facilis, coctionis impatiens, ſuperiores vias petit.

[b] Gal. comm. 3. in 6. Epid.

I I.

AVACUANTE Medicamentô, benè vel præpoſterè exhibitô, ſæpè ſæpiùs vita & mors. Hinc nihil in omni Medicinâ majoris momenti quàm vacuandi ratio; nihil tamèn hactenùs apùd pleroſque medentes obſcurum magis atque controverſum: ad hunc ſcopulum offendunt penè omnes, frequentibuſque naufragiis, & pudendâ in re tam gravi diſſenſione efficiunt, ut ars omnium præſtantiſſima, non aliis alioquìn quam ipſius naturæ legibus conſtantibus & æternis ſtabilita, in acerbiſſimam vulgi contumeliam incurrat, ægrotis non minùs quam Medentibus pernicioſam: A Medendi & enìm profeſſione, ſi quæ alia, fœdis, & horrendis, imò & non raro mortiferis plena laboribus, honorem & gloriam qui ſemel ſuſtulerit, hanc ingenuo, & ad magna ſurgenti viro prorsùs indignam facit, vilibuſque ſolum mancipiis deinceps exercendam remittit; quo quidem nihil rei-

publicæ calamitosius potest excogitari. An idcircò laudandos dixerimus qui nulli non affectui, illâ vulgo ridiculâ, palàm in theatris explosâ, antiquis incognitâ, & à nonnullis sæculi præteriti temerariis novatoribus infœliciter introductâ, ratione medentur. [c] *Clyster*, *Phlebotomia*, *Potio* : Nefas rati venæ sectionem, à quâ omnis curationis exordium sempèr inducunt, post purgationem unquam remittere, hanc verò in gravioribus morbis, nisi desinentibus, concoctâ materiâ, & post septimum diem præscribere. *Incredibile dictu quàm multos trita vulgataque hæc medendi via, ac præsertìm in pleuritide perdiderit.* [d] An Medicos Italiæ ferè totius Romanos præsertim pluris faciemus, qui purgationem contrà venæ sectioni nunquam non anteponunt? An Neapolis & Siciliæ potissimùm populis Medicinam facientes, qui quarto die semper, sexto verò nunquam, in acutis purgandum existimant? An Agyrtas denique & Empyricos, impunè de coriô humanô etiàm nobiliori ludentes, qui nullo neque morbi, neque temporis facto discrimine, seu dejectione, seu vomitu, Tros Rutulusve fuat æger, mas vel fæmina, prægnans vel nondum matura viro, quô jure, quâ injuriâ, ad mortem usquè sæpius evacuando, miserè excruciant? His & illis, salutiferæ purgationis modum in acutioribus, novisse negatum est, solis vero concessum, qui solertis ingenii acie, summâque sapientiâ præditi, assiduâ Medicinæ Principum, Hippocratis præsertim meditatione, & experientiâ non vulgari instructi, omnia diligenter circumspiciunt, tenent quæ sit cujusque morbi facies, quanta vis unum quemque concitarit; insidiosâ affectuum malignorum mollitèr incipientium benignitate non decepti, ægrum nihil tale cogitantem fraudulentèr enecari non patiuntur, malos eventus prænoscunt, & fœlici mutatione bonos faciunt sæpissimè; vacuandi indicationem ab humoris noxii specie & situ, morbi vehementiâ, & viribus ægri, desumunt potiùs, quam à certô & determinatô dierum numerô; docti quàm sit periculosum, in gravissimis affectibus, crisim aut coctionem sæpius non futuram, expectare, non morantur cum graviter urget vis mali; & ut momentum occasionis, quæ ut in bellô, sic in medicinâ rei gerendæ caput est, & summa summarum, temerariâ festinatione antecapiunt nunquam, sic pænitendâ cunctatione elabi & præterire non sinunt.

[c] Fernel. ibid. pag. 39.

[d] Ballon. Epid. pag. 79.

III.

FOELICES Medici si de illis soli judicarent medicinæ periti: fœliciores ægri si pro veris Medicis non haberent qui medicinæ sunt expertes, iisque salutis suæ curam quotidiè, proh dolor! non committerent. Rari norunt quid distent æra lupinis. Vulgus, etiam & in aulâ frequens, ratum præcipuam Medicorum diligentiam in multiplici remediorum apparatu versari, eos solummodò existimat antecellere, quos in promptu remedia tenere arbitratur. Longè alitèr sapientissimus Hippocrates, hunc solum laude dignissimum censet, quicunque in morbis acutis, (quos ut maximè calamitosos atque funestos, peritioris Medici manum magis tutam atque diligentem postulare meritò dixeris,) id consecutus fuerit, ut rectâ medendi viâ atque methodo, cæteris præstare videatur; hæc scilicèt quâ vis arcanâ ac prætiosâ compositione potior, eruditum ab indocto, Medicum ab Empyrico, sola verè distinguit. Porrò morbi acuti in quibus parvis momentis multa meliora & deteriora fiunt, atque adeo incertæ sunt admodùm prædictiones salutis vel interitûs, definiuntur ii qui velocitèr, cum impetu, & periculo, ad statum continuo pede moventur; sivè sæviant sinè febre, sivè cum febre essentiali, aut symptomaticâ ægrotantem exerceant: Pro variis velocitatis & vehementiæ gradibus vocantur vel acuti simpliciter, qui ad decimum quartum, aliàs ad vigesimum usquè diem perdurant; vel dicuntur peracuti, qui primo septenario circumscribuntur; vel demùm acutissimi, qui ab ortu primo, statim validi, rapido cursu properant ad exitium sæpiùs quàm ad salutem, & intrà tertium aut quartum diem cessant vel interimunt. Horum omnium magnitudo ex affectæ partis dignitate, humoris morbifici naturâ, symptomatum gravitate, solet æstimari. Acutorum parens maximè vel serosa & putris illuvies, turgens aut turgere facilis, rarò coctionis capax; vel biliosus humor qui insigni fervore ac feritate, excussô naturæ jugô, huc & illuc plurimus furit, impatiens loci, & quietis nescius, superis, magisque principibus partibus, præsertim formidabilis; in quas si semel irruat, quod toto morbi decursu timendum, licet ad tibicines mittas. An in tam periculosâ rerum perturbatione, in quâ celeritas ipsa mora est, fato suo miserum ægrotantem relinquet iners & male feriatus Medicus? An ad illud celebre Hippocratis effatum πέπονα φαρμακεύειν

tanquam ad caput Medusæ hærens attonitus, coctionem morte sæpiùs tardiorem morabitur ? quasi verò tàm sanctè audiendus ille aphorismus, [e] hoc præsertim sæculo magis otioso & intemperanti, atque in tantâ benigniorum medicamentorum supellectile ? Quasi denique fas non sit nisi victos & jam senescente morbo castigatos humores unquàm aggredi ? Purgationem sanè in acutorum initiis sæpius suadet vera medendi ratio, comprobat fœlix experientia, nec prohibet, quin imò passim præscribit, & imperat ipsemet divinus senex. Mediocris affectus quoniam nec præceps est nec periculosus, lentè paulatimque tutiùs quidèm eximitur, at præcipites & acerrimi, brevì vires oppressuri & extincturi, in quibus materia turget, suoque motu & instabilitate omnia conturbat, statìm initio valentissimum Medicamentum postulant. Extremis morbis extrema diligentissimè debentur remedia ; in his non periclitari extremum periculum, certa desperatio, & summa artis ignorantia. Ergone etiàm tunc peritior Medicus morbum novare, imò interdum etiàm augere & febrem accendere non dubitabit ? Quidni ? cum curationem ubi id quod est non recipit, poterit recipere id quod futurum est ; nihilque non tentandum sit, quod prodesse valeat ægris, etiam desperatis.

[e] Ballon. Epid. lib. 2. p. 142.

IV.

OMNIBUS morbis ut singulis animantibus suæ sunt ætates & temporum fatales cursus sedulò inspiciendi, & quibus neglectis, optima quæque fiunt pestifera; alitèr medendum ineuntibus, alitèr increscentibus, alitèr subsistentibus, aliter jam ad sanitatem inclinantibus: nec satis dici potest, in acutorum præsertìm curatione, quid & quantùm intersit, idem utrum antè, an post, hoc vel illo modò decernatur, agatur. Incertus es quid agas in re tam ancipiti ? Hippocratem interroga ? & nullius magis verum atque hujus responsum existimes. *Cum morbi inchoant*, inquit, *si quid movendum videtur, move ; cum vero consistunt ac vigent, melius est quietem habere, & enim circà initia, & fines, omnia imbecilliora, circà statum verò fortiora.* Hoc fortè non contentus oraculô alterum expostulas ? en accipe ? *Circa ægrotos considerare oportet statim in constitutionis principiò, qua re opus habent, & quales sint ut pharmacò purgentur ; si verò omissò principio ad finem jam vergente morbò exhibueris, in delassatò corpore fortè quiddam præbere veritus, periculum est, ne magis delinquas quàm successum con-*

Aph. 29. & 30. sect. 2. ex quibus unicum facit Galenus.

Hip. lib de affect. n°. 2°.

sequaris. Quid plura ? Hinc satis constet non solùm in acutorum principiô non prohiberi purgationem , etiàm non turgentè materiâ , sed ex duobus temporibus principiô nimirum & declinatione, (aliàs enìm ab omni medicatione abstinendum, nisi extrema & enormis cogat necessitas) principium declinationi longe præferendum. Hanc legem universô medentium ordini impositam, adeò religiosè ipsemet observavit divinus senex, ut vix purgationem in acutis ab eo factam transactô principiô invenias; quod tamen rarò , nisi materia turgeat, & cum præmeditatione faciendum præcipit ; quæ in eo potissimum reposita est, tùm nè virtus naturæ , libertas meatibus, & materiæ fluiditas desideretur ; cum ne crudus viscidusque humor, intimis suffusus visceribus, obstructionum , inflammationum atque adeò acutorum etiàm author non infrequens , medicamentô frustrà ante pepasmum tentetur; quem quidem expectare tutius semper , quoties turgens & urgens humor non cogit accelerare. *Quâ etenim die ,* imò & horâ , *turget in valdè acutis, eàdem medicandus, tardare in talibus malum.* Et tunc non modo temporis, sed cum periculum est ne aut turgeat, aut quid insidiosâ benignitatis specie occultet maligni & pestiferi; prudens quippè timeas, ne symptomata initio leviora , eundo ingravescant, eorum acerbitate vires frangantur , efferus humor partem aliquam obruat, cujus officio vita carere non possit ; Morbus denique , alioquin brevis & sanabilis, imprudenti & imperitâ cunctatione, aut longior aut exitiosus evadat. Adde quod si quid ineunte morbo peccaveris , illud non æquè sit insanabile , atque id quod incidit in morbi vigorem , in quô & non minùs venam secare, quam purgare nefas , & vel minimus error, morte ut plurimùm plectitur. Porrò propriè turget humor quicunque nondum in aliquâ parte firmatus, tenuis , fervens, præceps, impotensque sui , plurimus tumet , ac velut æstro percitus, circum claustra fremit , & quoquoversum debacchatur; quem in statione continere , regere , & superare cum amplius natura non valeat, prudentioris est medici, & occasionis captatoris eximii , illius jam sub pondere gementis & mox opprimendæ, causam suscipere, ac potentiori pharmacô , etiam ancipiti, desultorium & seditiosum hospitem , extremam secus perniciem allaturum, omninò, aùt saltèm partìm, festinantèr eliminare.

Aph. 10. sect. 4.

V.

CUM ità comparata ſit omnis medendi ac præſertim vacuandi ratio, ut minimis æquè momentis in ægri commoda peccetur, etiamſi acri cum judicio definita fuerit purgandi neceſſitas; conſiderandum adhuc, quemadmodùm & quibus auxiliis id queat effici. Quo major etenim ex artificiosâ vacuatione fructus percipitur, ſi conſideratè fuerit adhibita, & ad normam illius quam naturæ beneficio, bonis ægri rebus fieri nonnunquam animadvertimus; eo majora per illam iniquè inſtitutam detrimenta importantur. Duas in primis purgandi vias natura monſtravit, quibus humores, qui toto corpore in vitio ſunt, æquabiliter poſſint excludi, vomitionem ſurſum, dejectionem deorſum; in hujus vel illius convenientiori delectu non mediocris ſagacitas, & artis peritia. Hippocratis ſtudioſus, ſolus vere Medicus, tenet primam in purgando legem eſſe, *ut quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia & magis vicina eò ducantur*; motuum naturæ ſedulus obſervator favente's & idoneos fovet, adjuvat, ſequitur; ſin minus, compeſcit, prohibet, aut aliò revocat: novit quanti ſit æſtimanda divini ſenis ἀναῤῥοπὴν, καταῤῥοπὴν, ſurſùm inclinatio, deorsùm inclinatio; atque huic dejectionem, illi vomitum convenire. Hic antiquis maximè commendatus, omnium purgationum ſaluberrimus, eò ſaltèm præſtantior, quòd præcedentem coctionem non requirat, & incipientibus morbis, imò & febrium acceſſionibus opportuniſſimè ſolus moveatur: temerè tamèn non præſcribendus Tabidis, Aſtmaticis, atque iis quos præcordiorum inflammatio, aut vehemens dolor, aut longior, exercet ægritudo, aut proſtratæ vires deficiunt. Triplex autèm utraque illa inclinatio ſivè ſurſùm, ſivè deorſum; prima humoris, altera naturæ, poſtrema ipſius morbi. Humor præ tenuitate laſciviens, in fermentatione & orgaſmo poſitus, acutorum parens frequentior, conſtanti motûs lege, ſuperas tentat ire vias; quemadmodum craſſus, impactus, concoctus proprio pondere deorſum tendit: Qui multâ bile aut ſerô ſcatent, juvenes, ætate & viribus conſiſtentes, imò & prægnantes, per ſuperiora; pueri, ſenes, infirmi, melancholici, per inferiora fœlicius purgantur. Denique affectus acuti, aut qui ſedem Diaphragmate ſuperiorem occupant, ſupernè; contrà diuturni,

Aph. 21. ſect. 1.

aut i. ˜eriori loco positi, deorsum crisim facilius recipiunt. Jàm verò , .roxismus seu accessio, morbi totius compendiosa quædam delineatio, iisdem etiam distincta temporum decursionibus, æquè diligenter observandis, non minimam dabit purgandi viæ indicationem; Desinente paroxismô ab inferioribus trahere quidèm nonnunquàm licitum est, at cùm incipit accessio, ab omni motione abstinendum præterquàm à vomitû, quem tùm spontè natura moliri consuevit: nec levis sit, secùs quam hac, nimis eheu negligenti ætate fieri amat, in paritate vel imparitate dierum, consilii capiendi ratio: Morbi qui imparibus diebus exacerbantur, quales acuti fere omnes, ἀνδρόποι dicuntur apud Hippocratem, quia tunc maximè temporis, movet transmittitque natura turbatos humores ad ventriculum, hinc imparibus vomitus, paribus dejectio. Concludat porrò ipsemet Medicinæ dictator, ex cujus puris & inexhaustis fontibus majorem scientiæ ac praxeos ubertatem unô die comparaveris, quam à cæteris pragmaticis uno sæculo.

Ergo Peracutis statim, ut plurimum, purgatio per superiora.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes-Franciscus Foy-Vaillant. *M. Petrus-Joannes Burette.* *M. Petrus Yon.*
M. Alexius Littre. *M. Ludovicus de Vaux.* *M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius.*
M. Philippus-Ignatius Save. *M. Petrus Marais.* *M. Joannes Robert.*

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA CHOMEL, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.